

VOCES
FAVENTIVM ANIMORVM
HYMENÆO
PORTAM DVCALEM
PERILLVSTRIS MAGNIFICI DOMINI

D. CASIMIRI
DE KOZIELSK
OGINSKI
PALATINIDÆ POLOCENSIS
INGREDIENTI
AD PLAVSVM

GENTILITIARVM TVBARVM
PERILLVSTRIS MAGNIFICÆ DOMINÆ

D. ELEONORÆ
WOYNIAŃKA
MARESCHALCIDIS PINSCENSIS CAPITANEIDIS GOR-
ZDOVIENSIS EXCITATÆ

A
COLLEGIO RADIVILIANO PINSCENSI *Societas IESV.*

PER FRANCISCVM BIAŁOZOR
Succameraridam Wilkomirensem



Laurigeros quisquis spiras Mavortis Honores
Huc avidæ mentis lumina tende tua..
Martia P O R T A patet Martis solius Honori
Sic ubi stat Mavors, hic habitabit Honor.



96470

AD PERILLVSTRES NEOSPONSOS

PORTAM Triumphalem ingredienti Hymeneo,
dum Gentilitiae WOYNARVM TVBÆ,
victoriosum canunt peana, orbem quoq; Litua-
num evocant in applausum PERILLVSTRES
NEOSPONSI. Adeſt ad genialem Martiorum
ſonitum classicorum, ea hilaritate, quā ad ea uestri Hy-
menai ſolemnia, Orbis universi Regum, Principūq;
supremas Majestates par eſſet comparere: ut ſcilicet
victri utriq; Domui Vefræ, de ſe meritiſimæ, ex
tot immortalium facinorum gemmis coronas conte-
xerent triumphales; & in publica Orbis universi le-
titia teſtarentur, uestrum Epithalamicum plauſum,
Orbis totius eſſe hilaritatem. Ad quam, dum Lau-
reata, belli pacisq; Numina communi motu conflu-
xere, illa quoq; ſoliuſ POLONI IOVIS affuet a
Imperijs RADIVILLIANA AQVILA, ſub cuius
tutelari umbra pupille Pinscenses quiescunt Mufe,
pennam in obsequium Epithalamici Triumphi ſubmi-
ſit, & aptavit: ut Nomen immortale uestrum perenni
gloria ſeculis conſignaret. Atq; hæc, inter publicæ hi-
laritatris plauſus, Honori Veftro devinctiſimæ Palla-
dis vota depromit: ut plaudente orbe, applaudente
Cælo ad Triumphalem PORTAM, magnis Virtuti-
bus, Fortunis, Honoribusq; patentem, Iuſtrissime
WOYNARVM TVBÆ, ſemper triumphos, victo-
riasq; canant perennes. Ita vovet, ac precatur.

PERILLVSTRI HONORI VESTRO
Semper addictiſimum
Collegium Pinscense Soc: IESV.

PANE^GYRICVS



Oronasti spes publicas & bene faventium animorum vota PERILLVSTRIS NEOSPONSE; ubi Castrensem PORTAM Tuam, belli, pacisq; milie decoram insignibus, accinentibus WOYNARNARVM TVBIS, triumphanti aperuisti Hymenæo. Quid enim tot belli casibus quassatæ, inter continuos armorum strepitus gementi Patriæ, venit optabilius; quam post tot publico creptos bono Heroas, novos iterum, renasciturosq; in filijs intueri? ac velut post Æmilios, & Camillos, validiores Marte Fabios, Scipiones, Pompejosq; nova Patriæ propugnacula numerare: atq; post tot lustra, & saecula, fortes fortibus procreandos felici propagine nepotes præstolari? quorum illa iam manibus animisq; fovere, iam vitâ, & spiritu animaretur, iam sangvine inter hostes effuso vegetaretur; Limitibus velut corporis sui membris, ultra proferendis. Quid hodie in pretium appenderet florissima olim ab imperio Græcia; si suos in nepotibus redivivos spectaret Constantinos Theodosiosq;? Nunquam barbaro pressa iugo duceret ex alio suspiria; si vitâ & moribus filiorum, suis non absimilium genitoribus, felix hucusq; animaretur. Publicæ spei huius felicem terminum habet saecunda Heroum Mater Lituania, PORTAM Castrensem Tuam PERILLVSTRIS NEOSPONSE: ex qua prodeunt tot Fabios, quot fortes Patriæ propugnatores; tot Æmilios, & Catones, quot sago & toga illustres Senatores, Orbis Polonus Litvanusq; suspexit. Quorum supremis mentibus, unicum illud insitum innatumq; est, vitam, & sanguinem, opes, fortunasq; Patriæ saluti, certatim devovere, eoq; in Patriam ardere amoris igne, quem nomen ipsum OGINSKI Polonis ab igne sonat: & Vestrum cuiq; de pectore ebullit ardente flamma: ut meritò quivis nominis Vestri Athleta, in ara Martis holocaustum, Patriæ in cultum cremari videatur; zelo nominis & animi, ignem subministrante. Æquo proinde iure maximum Patriæ decus, PORTA Castrensis, Vestro Agnomini ex Æternæ ipsius Mentis arbitrio designata: quod Domus

Bellatrix

Bellatrix hæc, Castrorum instar in pulvere & acie, in sole & aprico, continuò pro Patria excubet; ac non nisi prælia, & aciem meditetur: Ex qua quot viri, tot legiones, imò fortissimi exercitus, ferro, vitâ, & sangvine patriam tutantes integratam. Foris cæteri trophæa quærant, & viætorias, Vobis domi nascuntur: quia Martis ipsius Fortitudo vobis semper domestica, cæteris sëpe hospitalis: ut hæreditario quasi iure, Vestræ Domi maneat; alibi verò tanquā hospes peregrinetur: ac post strenuos Iulios, invictos Leones, & magni nominis Honorios, turpes quandoq; Heliogabalos, probra Principum Copronymos reperiatur. Domesticæ huius Bellonæ & Martis in PORTA Castrensi Vesta hæreditarij, tot sunt nobis argumenta, quot Marte illustres Avi, Fratres, & Patruelles Tui, verè dixerim tot magna belli numina, quot nomina, quorum memoriam excitâsse, ignem de cinere supertectum suscitâsse est; famâ nominis velut flammâ recentibus factis adhuc ignescente: nec minùs novis posthumisq; quâm præsentibus, ac retroactis sæculis nomen OGINSIANVM palam evulgante. Tantùm eximij ardoris, & PORTÆ undiq; illustrissimæ primordijs maxima præluxisse debebant luminaria, primæ quasi luminis tanti bases: quæ Orbi illustriorem PORTAM OGINSIANAM redderent. Quid illustriorem dixi? Illustrissimam satiùs, aut Serenissimâ memorâsse debueram: quia ab ipsis Regum, Principumq; Serenitatibus decoram: à magnis videlicet Monarchis Haliciæ, aut à veteribus illis Kijoviæ, Severiæ, Czerniboviæ, Praeiaslaviæ, Mscislaviæ Celsissimis Ducibus: quorū magna per orbem Sclavonicæ gétis nomina uti KORECCIIS, DRVCCIIS, Czetwertiscijs ita eximijs quoq; Ducibus in KOZIELSK avito sangvine finitima fasti veteres evulgant. Illuxit hîc ad perenne PORTÆ Castrensis ornamentum, quidquid in Litvano Orbe inter præcipua familiarum decora splendoris, decorisq; est. Convenere in unam gloriam sociata tot affinitatum fædere Castrensi PORTÆ speciosissima armorum ornamenta SAPIE-HARVM, WOLLOVICCIORVM, CHREPTOVICIORVMq; Sagittæ, Orbem famâ emetientes. Convolârunt pennis sublimibus ad apicem Triumphaticis PORTÆ CHODKIEVICIORVM Gryphes, ZAWISZARVM

& SZEMIOTORVM Olores, Victrices ubiq; RADIVILIO-
RVM, POŁVBINS CIORVMq; Aquilæ, bella, pacem, tri-
umphos. victoriasq; canentes RVDOMINARVM TVBÆ;
STETKIEVICIORVM, POCIEIORVM, NARVSZEVICIO-
RVM, cæterarumq; magni nominis familiarum illustrissima
decora æviterno splendore PORTAM ornavere.

Atq; nè plurima Terris Cœlisq; nota OGINS CIORVM
nomines Grandia, primaq; glorioſiſimæ PORTÆ Columna
sepulchralib⁹ umbris obscuriori involvā filētio; liceat mihi per
interi⁹ illustrissimæ PORTÆ atriū penitiore oculo grandia
Divorum Prædeceſſorū numina intueri; ac inter magnarum
mentium ſimulachra illum magnanimum Herōēm, fulmen
hostium, Patriæq; vindicem acerrimum THEODATVM
OGINSKI Trocensem Succamerarium primo dictionis limi-
ne venerari. Qui tūm ſublimis animi magnitudine, tom in-
genua bellicæ artis peritia, ac magni consilij in armis
promptitudine, ita Regum Potentissimorum STEPHANI, &
SIGISMUNDI III. intimos affectus ex integro occupavit;
ut cor Regium, & manus Principis ex omnium diceretur te-
ſtimonio. Debebat profeſto regios traxiſſe animos illa in-
vičtæ mentis celsitudo, & tot horoicorum auſuum Marti pro-
bata, Herculi compar dexteritas: quā tēterrimum Latronem,
Cofaticæ rebellionis Primipilum Nalewaykonem, Viperam
Vkrainēſē, viſcera Reipublicæ feroci perduellione rodentē, po-
tentē dextera compescuit, & vincitum compeditumq; ad In-
vičtæ Regiæ Maiestatis plantas terram mordere cōegit. Mu-
ltūm placuit Polonæ Maiestati dexterima hydræ huius depref-
ſio Herculis Lituani dextrā profligatæ. At non hīc quievit
irrequietus martiæ mentis fervor & impetus; verūm instar
invalescentis per aggestam materiam flammæ, amplius, in fu-
nera & buſta hostium exarsit; illi Polocia Moschico iugo vin-
dicata ſuam, magna ex parte, libertatem inscripsit; illius la-
certis hanc recens vindicatam provinciam STEPHANVS
BATHOREVS, Atlas ſcilicet Poloniæ, ſuo Alcidæ imposuit,
extra tela periculorum futuram, quamdiu tam ſublimi colu-
mine attolleretur. Quid tum fortissimus Bellatorum THEO-
DATVS centoculus planè in vigilādo ex Gubernatore Argus in
commissis agebat? imò quid non agebat? vota, & metam desi-

deriorum

deriorum Fortunatissimi Regis excessit, superavit. Quaquā per adversos hostium cuneos cataphraetam suam ducebat Legionem, victoriosa in cædibus & funeribus hostium, suæ fortitudinis vestigia relinquebat. Nec unius solùm Palatinatus Polocensis Cives servavit & confinia; sed in ipsa fere viscera Moschoviæ defixo ferro, magnà undiq; hostium strage toties penetravit; & in penitiora Moschoviæ Fortunatissimi Regis promovit Victoriam. Intremuit, imò toties ingemuit ad Martium tanti Herois motum Moschovia: triumphavit infami servitute soluta Patria Libertas, & orthodoxæ religionis rediviva integritas. Felix tum in ipsa infelicitate Patria, quam pænè naufragam invicti Bellatoris manus ex tot scopulis, quot hostibus eripiebat, & in tuto extra periculi aleam collocabat. Sed nec post fata minus strenuitatis suæ dedit monumentum; cum Filium, se maiorem; quia in strenuis Magno parem Alexandro ALEXANDRVM, Castellatum Trocensem Patriæ reliquit statorem felicitatis. Cuius nomen, & heroicæ virtutis portentosam fortitudinem, dum ex mortualibus excito cineribus; videor mihi Lituanam, Polonamq; gentem iterum in plausus, & Magnæ virtuti applaudentia encomia evocare. Eduxerat tumidus nimiū Osmānus suum Orbem prope universum, innumeras planè phalanges ex Asia, Africa, ac Europa, magnà parte sibi militante, supremum iam exitium Orbi Polono, atq; universæ Christianitati inde illaturus. Cum positis ad Chotimi mænia castris Supremus utriusq; gentis exercituum Imperator Chodkiewicius, insolenti ferociæ, sese Patriæ Propugnatorem opposuit. Sprevit exilem copiarum numerum, numerosissimus hostis, unius Mahometani viribus, vix suffecturam exercitus nostri potentiam, superbè iactabat. Atq; ut tumidissimi animi probaret elationem; procedebat fortissimus Mahometanus quasi ad capessenda bellici eventus omina; in singulare certamen, strenuissimum quemq; ex sarmatis evocando. Obstupuit ad insolentem audaciam Polonus Lituanusq; exercitus. Exarsere fortissimorum quorumvis bellaces animæ: certatim plurimi vel nutum solius Imperatoris deposcentes. Sed magnus Heroum arbiter Chodkiewicius, per singulos, assiduò certamen deposcentes, animum, & oculos versans, eum ad

deprimendum hostilis animi fastum inquirebat; cuius nusquā dextera & gladius falleretur. Atq; ex tot fortissimis, omni strenuitate eximum felicit ALEXANDRVM. O quis igneæ mentis ardor! quæ vis! quis animus heroum pectus extulit? Fulmen tum, ardorem heroicum verè credideris: qui vix aggressus hostem, vix manu vibravit gladium; illico uno iētu caput demessuit. Stetit attonitus utrinq; spectator exercitus. Heu quem pudorem timoremuè tumidissimus hostis? quæ gaudia, quos plausus nostri ingeminabant herōes? ALEXANDRVM verè Magnum, verè Herculem, verè Achillem millies nominabant salutabantq;; qui nomen Patriæ, decorē Domūs, hosti æternam labem metumq; perennibus incussit monumentis. Nec id ultimum viētricis palmæ ostentum in ALEXANDRO Magnum probavit Alexandrum: plura sexcentaq; alia prodigiosam in agendo fortitudinem, in perficiente prodigiosum robur ubiq; redivivam Magni Alexandri magnanimitatem, fortunam, dexteritatemq; in eo proponebant. Nē cæteris cogar immorari; unicum inter plura revocabo; quod ad solvendam Smolensci obsidionem Prodigiosus Athleta sub VLADISLAO IV. æternæ dedit memoriæ. Universæ tum Lituaniæ fædifragus Moschus supremum minabatur exitium; cùm Fortunatissimus Regum VLADISLAVS IV. ocyūs Smolensco, festino passu admovit Castra. Tumidus hostis numero confidens hosti spem viētoriæ ante pugnam devorabat. Atq; protinus in arenam tumultuosum militem opposuit. Pugnatur illicò, concurritur utrinq; acerri-mè, vir viro, ferrum ferro, ausu pertinacissimo obtunditur. Iamq; non animus, sed manus, & ferrum fundendæ hostium multitudini deficiebat; cùm hostis numero non virtute, nostrorum rumpebat agmina: & sibi, heu! dolendo eventu certam de nostris parabat victoriam. Quid hīc ALEXANDER cum illa Cataphractorum fortissima cohorte, quæ ob militis selecti fortitudinem, ob Martiæ supellectilis exquisitissimum splendorem, vexillum Argenteum vulgò à Lituano exercitu dicebatur? Videbat hæc, & ignescente animo, ardente vultu, sui militis inflammans corda: illam, illam adversæ partis involat stationem, ubi frequentissimus hostis ferreum se murum, seu verius adamantium nostris pertinacissimè exhibebat:

bat: ac per confertas legiones, per densas hostium turmas,
in medios tormentorum ignes, in lunatas peditum secures,
quasi per formicarum lacestitarum acies, unica perrumpit co-
hortes: ac fractis confusisq; hinc inde Moschorum ordinib; 9
Victor ac illæsus undiq; ad victorias viam patentem aperuit.
Spectavit hæc lætioris iam spei miles noster, & viribus ani-
misq; integriùs ab ALEXANDRO resumptis, hostem fre-
git, fugavitq;. Secuta fortunatissimo eventu Victoria, omni-
um voces, omnium festivæ acclamations ad sidera usq; cer-
tatim excitabantur, ALEXANDRO ipse Polonus Monarcha,
supremus Bellatorum Arbiter VLADISLAVS, memorabili
Regiæ Maiestatis Encomio, in laudes ALEXANDRI effusus,
vocis Regiæ, sæculis scribendo oraculo: RE, & NOMINE
MAGNUM ALEXANDRVM nominavit: amplissimisq; ho-
norum subsellijs in præmium perenne fortitudinis cumula-
vit; O nomen! O gloriā! O honorem! O fortitudinem omni ævo
memorabilem! Cuius ipse Bellatorum supremus Monarcha fa-
ctus est de Maiestate Encomiastes. Sed quid ego innumera
heroum facinora, magnis voluminibus consignanda inter bre-
ves schedulas coarctem? In immensum prope abiret oratio,
si universos hic, ac singulos Domūs Vestræ Heroas, amplis-
sima Nomina OGINSIORVM, Marti & saluti solius Pa-
triæ devotissima capita; ab altiori memoria cum tot heroicis
facinoribus unumquemq; ad legem arithmeticæ recenserem.
Quantum enimverò extra limites facundiæ, cresceret in ma-
gnitudinem oratio, si strenuissimos Regiarum copiarum Du-
ctores DEMETRIOS in arena Hectores, in Consilio Cato-
nes, ad memoriam revocarem? Si facundissimos IOANNES,
Castellanos Mscislavienses, SAMVELES, Tivunos Trocen-
ses; si THEODATOS Vexilliferos M. D. L. aliosq; invi-
ctissimos Bellatores, multiplicium palmarum Victores; vindi-
ces, assertoresq; Patriæ Libertatis pedissequo orationis meæ
seccarer comitatu? Nunquam tamen quispiam facilem veni-
am dictioni meæ daret; si maximum illum verè Lituani Or-
bis Athlantem, Trocensem priùs Palatinum, Magnum postea
M. D. L. Cancellarium MARTIANVM OGINSKI eximiū
Patriæ defensorem, amplioris meæ dictionis officio ad su-
premium Vestræ Castrensis PORTÆ ornamentum non re-

singulare præmium Clavam Campestrēm, eximum Martiæ manū decus, de invicti Principis manu acceperat. Perenne id Bellatricis Dexteræ ornementum, quātam spem, quæ o- mina, laceratæ tot bellis Patriæ promittebat: nisi invida prosperis rebus fata, in ipso bellici successū limine, vota & spes nostras in uno succidissent, Herōe. Sed lapsæ spei plurimū adhuc erigit verticem tanti Herois fortunata so- boles: quæ in quinq; adhuc superstes filijs, fortunata patriæ portendit omina. spondent maximum Patriæ omen, magna- nimi Genitoris redivivi spiritus in unoquoq; non degenerē filiorum promicantes.

Quas spes? quæ desideratæ felicitatis auspicia inclytus Heros porrigit. NICOLAVS OGINSKI Ensifer M. D. L. in sago Mars, in toga Consus, undiq; magnorum decus & co- rona Proavorum. Quæ vota Patriæ! quamve alit publicæ spei exspectationem, magnanimæ mentis ardua virtus GRE- GORII OGINSKI Vexilliferi M. D. L. Regiæ cohortis strenuissimi Ductoris: de quo nunquam verius; quām Polonus noster Horatius per orbem cecinit: quod

- - - *Audaces tumultus*

At tenero meditatur ungvi

Sarbievij

Solidisq; somnum

*Commendat armis; aut Clypeum super
Effusus.*

Evidenti documento, in gentilitia Castrensi PORTA, ve- rē continuus pro Patria excubitor: quem à Castris ab acie à trita quotannis Martis arena, nulla unquam abstraxit nece- sitas. Magnanimus LEO Subdapifer M D. L. quid nisi Le- onem in acie & aperto ad bella campo nobis præmonstret? non magni nominis umbra, sed re nominis interpres fortis- simus, Leoninum pro Patria robur & animum ad bella exhibet. Quid MARTIANVS? cuius supra ætatem virtus, ar- duia mentis dexteritate, nil nisi felix fortunatumq;, tot He- roibus viduatæ promittit Patriæ. Ipsum enim MARTIANI augustum nomen, quod *Marti Annos voveat*, quasi is ad bella solūm natus? o quot omina convulsæ bellis Patriæ spo- pondit.

Tu ipse

Tu ipse PERILLVSTRIS NE OS PON SE, magnum, pri-
mumq; OGINSIANI Nominis decus, gemma & spes avitæ
gloriæ, quantum patrij decoris, nominisq; per orbem am-
pliandi, quantum publicæ salutis, integratatisq; tuendæ, quâ-
tum equestris Ordinis ad immortalem gloriam augendi, in Te
uno argumentum proposuisti; satis magnis relinquo animis
pensandum. Quæcunq; enim per plures Nominis Vestri
Herôes amplissima OGINSIANÆ Domûs dispersit gloria;
Tua sublimis indeoles in Te unum virtutis artificio collegit.
Suum in Te aviti Nominis fama, non vulgaris Sapientiæ o-
stentat splendorem; quem à maximis scientiarum luminari-
bus in sublimi Academiæ Vilnensis polo, felici ingenio mu-
tuâsti, & in auge publici consilij, toties pro bono Patriæ ex-
hibuisti; quoties aureæ libertatis internuntius in publicis Co-
mitijs, in facie Orbis Poloni comparuisti. Suum quoq; A-
tlanteum robur, & arduæ mentis strenuitatem, Lituanus Mars,
Castrensis PORTÆ inquiliinus, in Te veneratur: quo avitam
fortitudinem Magnanimos THEODATOS, maximosq; re, &
nomine ALEXANDROS, in Te ostendis redivivos: quoties
invictum mentis ardorem, nunquam in acie fallacem dexte-
ram ipsi Commilitones in Te demirati, laudibus non exiguis
celebravere: verum genuinumq; OGINSIANI Martis ardo-
rem in Tuo scintillantem pectori suspicientes. Brevius com-
pendiosiusq; loquar: magnarum virtutum comitatus amicissi-
mo fædere in Te convenit: qui Te cæteris spectabiliorem,
magisq; amabilem multorum insinuaret animis. Ipse enim
vero Tuæ comitatis ingenuus decor, minimo cuiq; se sub-
mittentis, sublimis animi dexterimæ immixtus compositioni,
quantos in se cuiuslibet trahit affectus, tua captivos demis-
sione? quas mentes, quæ pectora in Tui amorem non animat?
quorum lingvas non instruit ad Tuæ indolis & humanitatis
encomia? Sed maximus omnium in Te encomiastes, perorans
pulchro de corpore virtus pulcherrima, ipsoq; vultu eminens
decor, qui plurimas sibi comites magnæ mentis incolas, vir-
tutes eximias, speciosi Corporis inquilinas, evidenti in Te
probat documento. Quis enim in tam augusto corporis Tui
habitaculo angustam virtutum maiestatem metietur? quod Du-
calibus imò Regijs quoq; virtutibus par esset comprehendēdis.

Vniversa hæc ex avito, paterno, fraternoq; tot Illustrium
Heroum, familiarumq; in toto orbe celeberrimarum sangvine,
magno decore fluentia in Te virtutum encomia, non mihi so-
lùm in fastigia laudis Tuæ enitenti; sed toti patriæ, publicæ
hilaritatis ferunt materiem: dñm ad PORTÆ gentilitiæ Tuæ
triumphales plausus, tot Heroum, Principum, Regumq; ipso-
rum encomijs celebratæ, auspiciatissimi Tui Hymenæi trium-
phos canunt illæ per orbem celeberrimæ W O Y N A R V M
T V B A E : quas omnis sæculi fama, magni præcones Nominis in
acie toties triumphales, in Pace consultatrices, in Senatu tot
Primatū, Optimatumq; purpuris decoratas, in Ecclesijs tot Præ-
fulū insulis coronatas, in M. D. L. toties aut in ærario, aureas;
aut in Cácellaria Signatrices aut in Vrbibus, Castris, & arcibus,
Palatinas Capitaneasuè, WOYNARVM immortale ubiq; no-
men, famamq; HRYCZYNARVM per orbem & sæcula præ-
cinentes, orbis uterq; suspiciebat. Et iam quis locus? quæ
remotioris terræ plaga in orbe nostro? quo immortalis WOY-
NARVM Honor, nomenq; sæculis celebratum clangentibus
T V B I S non pertigerit? Quod, quæso, maximum publicæ fun-
ctionis in Patria genus est? quod in ornamenta Illustriissimæ
huius Domus perenni decore non defluxerit? Dies me & atra
sæpia ad scribendum deficeret, si singula quæq; & maxima
honorum fastigia numerarem: quæ hæc Domus à tot sæculis
in Orbe Lituano nunquam intercisis tractavit temporibus:
Vt vix nasci quispiam ex hac Principe Domo videretur; quem
summi primi q; in patria honores non salutatum habuissent.
Vnum mihi pro millibus vetustissimæ stirpis documentum
esto, Dignissime Senatorim THEODORE WOYNA Castella-
ne Witebsensis: qui sex filios, primæ dignitatis Senatores,
septimum temetipsum in Senatu numerâsti. Iucundum, no-
vumq; in orbe Polono, ac Lituano spectaculum: cùm vene-
randus senecio, grandibus in patriam ornatissimus meritis,
lætabundo intra pectoris secretum animo, vultu plenè ad hil-
aritatem composito, sex filios, pietate Pompilios, gravitate
Catones in primis subsellijs de Patriæ bono graviter discep-
tantes, circumspiceret. Hinc ærate & sapientia grandævum,
quia supremum natu STEPHANVM SOKOLIVM, Castella-
num Brestensem; inde LAVRENTIVM Thesaurarium M.D.L.

Capi-

Capitaneumq; simul Pinsensem; ibi GABRIELEM Procan-
cellarium M. D. L. de Patria Civem meritissimum; hic SIMONEM, Castellanum Mscislavensem; illic GREGORIVM
post fata Fratris, iterum Castellanum Brestensem; ac inter
eos sublimi eminentem dignitate, Primatem totius Lituaniæ,
BENEDICTVM Antistitem Vilnensem insigitem pie-
tate, sublimem prudentiâ, Patrem Patriæ, Asylum Orphano-
rum. O quis venerando seni magni solatij sensus intima oc-
cupabat pectora? Quos plausus, & gaudia amicorum ingere-
bat gratulatio, de tam felici prole, terq; quaterq;, beatum
Genitorem acclamantium? Quanta illustrissimæ Domus glo-
ria! Quis decor! Quod nomen immortale! Sed domestica
hæc quia domi nata immortalis WOYNARVM gloria,
nostris adhuc sœculis coœva. Ampliora sunt, quæ ab ipsis fa-
miliæ primordijs iucundiùs elucescunt. Prima enim incly-
tæ Woynianæ Domus principia, non nisi Principibus deben-
tur; Magnis, inquam, illis belli pacisq; Numinibus HOLHO-
VITIIS Russæ Ducibus, quorum avita in Regione Pinsensi,
quidquid Pina & Pripetium alluit, hæreditas erat, quæ, licet
ultra Volgensium scytharum, ac in primis Bateij & Caidani po-
pulatore gladio imminuta; magnitudinem tamen animi, Mi-
tratam gloriæ antiquitatem, in magnis hodie posteris hære-
ditat. Primus gloriosissimæ stirpis huius Progenitor HOL-
HOVICIVS tribus Filijs (quibus ab officio & indole no-
mina HRECZYNA, KIERDEY, WOYNA impo-
suit) suam propagavit æternitatem. Tres TVBÆ in gen.
tilib; WOYNARVM ceris, bella illa, innumeris planè victorijs
coronata sonant, quæ olim laureatus ille Fratrum ternio,
feliciter: æquè ac gloriösè pugnavit, Martio Classorum clan-
gore circumiacentem viciniam ad socialia evocando arma. In-
de potentissimis in M. D. L. primatibusq; familijs per iura af-
finitatis, in magnitudinem nominis non parum aucta, ijs fa-
miliarum maximis decoribus ad immortalitatem resplenduit,
quas Orbis Lituanus olim, ac hisce temporibus in magnis
Nominibus, RADIVILIIS, SAPIEHIS, DOLSCIIS,
WOLLOVICCIIS, MASSALSCIIS, TYSZKIE-
VICIIS, SZWERINIIS, OSOLINIIS PACI-
IS, SOKOLINSCIIS, plurimisq; cæteris, primis sem-

per honoribus decoravit. Magnarum hæc virtutum compendia, immortalium Heroum ornamenta, lucem ac splendorem universum, unus in Te colligis, & magna tot virtutum decorumq; concentratione, in Te solo exhibes PERILLV. STRIS M. D. MATHIA WOYNA MARESCHALCE PINSCENSIS, Capitanee Gorzdoiensis. Vnus ille es, qui communi fatorum tumulo, heroum animas exemisti, cum eos in Te redivivos suâ virtute spectabiles, sua pietate conspicuos in Te uno reddidisti : & vitam, à quibus acciperas, ijsdem novo naturæ prodigo redonâsti; grandes Prædecessorum animas tuo pectore animatas, tuo vultu spirantes adhuc post fata superstites, vivis virtutum lineamentis in Te solo circumferens, factus gloriæ, virtutisq; compendium. Strenuam Martis fortitudinem de tuo pectore, teneriori adhuc ætate quis in Te eximiam non suspexit? Cū iuuentutis annos nondum egressus ocyùs prætextam cum sago, pennam cum gladio, Palladis arenam cum Martis acie commutâsti: ut immortales à tot sæculis maiorum tuorum animas bella & aciem spirantes Tua fortitudine revocares & nomen avitum W O Y N A, tot bellis & triumphis partum Tibi congruum ex iure monstrares. Virtutum omnium Reginam Pietatem, uti sua maiestate cæteris virtutibus præminentem, ita universas, secum in catervas trahentem, in Tuo pectoris augustali dominantem ecquis recta mente non probabit? quâ immortales avos Tuos, ardentissimos Divorum amatores, tot ædium D E O sacrarum, totq; cænobiorum munificentissimos erectores, iterum post fata tuâ reducis munificentâ: dum devotas Divis Cælitibus ædes, vetustissimo squalore obsitas, Tuâ, aut munificentissimâ manude vetustate abstergis, aut collabentes iterum erigis opifice pietate. Eximiæ mentis huius amplitudinem etsi nostra taceret facundia, ipsa præ cæteris locupletius loqueretur Pinseensis Collegij Basilica: quam tu eo splendore, & magnificantia induisti, ut nova iterum, & speciosior erigi à Te videretur. Post regnatrixem Tuou in pectore pietatem, ô quot pedissequæ seqvuntur in famolitum virtutes! quæ te cœlo proximum, Divis Cælitibus amabilem, omnibus carum, summis insimisq; reddunt æstimabilem. Miraculum nostratis

ævi esse diceris; quòd maximus æqui, rectiq; amor ita pe-
ctus intimum occupavit: ut nihil supra Tuum concupiscas.
Meritò Te non unius Capitaneatūs Pinsensis, sed omnium
Regnorum Reginæ Æquitatis, Mareschalcum ex æquo dixe-
rim; quem tot stipatum decoribus virtutis tramite præeun-
tem, Regnatrix & Custos legum comitur Iustitia. Di-
gnus omnium ex æquo decernentium sensu & conscienc-
tiâ: ut pari Avorum Tuorum passu, honorum sublimium de-
curras tramitem, altissima Senatorum ascendas subsellia; Ut
hæc æquitatis amplitudo in Tuo regnatrix pectori, univer-
sæ Reipublicæ cumulatius fluat in emolumentum. Non
mea hæc solùm, sed universæ Patriæ faventium Civium vo-
ta sunt, qui, ut felix, fortunatissimusq; annos, & sæcula vivas;
de suis annis minui, & Tibi addi exoptant. Tuæ id amplis-
simæ felicitati concessum est PERILLVSTRIS NEO-
SPONSE, quòd tanti Genitoris undiq; meritissimi Filiam,
tot Avorum Illustrissimorum Neptem, tot virtutum facto-
rumq; omni sæculo memorabilium Hæredem, fortunatissimi
Hymenæi iungis perenni fædere. Magna hæc ad patrij
splendoris, & Illustrissimæ Domûs decorem, ad publicæ hi-
ilaritatis augendam materiam, ad toties Lituani Nominis am-
pliandam felicitatem argumenta: quæ dum bene faventium
animorum altius subintrant præcordia, ô quot vota! quæ gau-
dia? quas voces & plausus maximæ iucunditatis indices
in patria excitârunt? bene quisq; sibi, bene Universæ
Patriæ ex auspicatissimi huius connubij felicitate omi-
nantur: optimam spem, magna auguria ex his utriusq; Do-
mûs meritissimæ geminatis splendoribus divinantes: qui ex
concentratis tot lumen, quot immortalium virtutum de-
corumq; radijs, amplius Lituani Nominis illustrabunt mai-
estatem, perennis famæ augebunt nomen Patriæ Herðes,
Civibus vitam incolumentemq;, omnibus immortalem famâ
geminabunt. His multisq; bene ominosis nominibus læta
assurgit Patria: & utriq; de se meritissimæ Domui ex æquo
gratissima, vota effundit & acclamations intimè voventium
ubiq; animorum: aureos soles, aurea sæcula, ætatem & annos
aureos, famam, nomenq; immortale vobis PERILLV.



STIBVS NEOSPONSIS precatura; ut orbem famâ, Patriâ felicitate, fastos immortali nomine, virtutuq; æviteris decoribus impleatis. Subscribent votis tum universæ Patriæ, tum ducalis Palladii, Vestræ prosperitati militaturi Cœli Perillustres NEOSPONSI: qui etiamnum ad Genialem Gentilitiarum Tubarum sonitum fæderatis cum bene precante terra, certant affectibus. Vobis magna magnarum familiarum decora.

militat æther

Et coniurati veniunt ad CLASSICA Cœli:

Tbaumaturgus nempe, connubialis Vestri nexûs arbiter Hymenæus, mouere terram, flectere cælum in plausus potest; cuius vocali plausui vox virtutis pondus & gravitatem addit. Conspirant in Vestram Fortunatissimi NEOSPONSI felicitatem, terra polusq; ut scilicet Nominis Vestri gloriam per seros Nepotes ad immortalitatem extendant. Vivite felices, Geniales Hymenæi Vestri tædæ Vos ad immortalitatem illustrent. Coniugalis thalamus Magnarum in patria sit Parens a spexq; dignitatum; ita exultans Polonia, Plaudens Lituania, applaudens Ducalis Pinsensis Pallas precatur.

Continuent superi pleno Lituana favore

Gaudia, successusq; novis successibus addant.



L-17
8-54